



Psalmus XIIIX.

Verf. 1. Præcentori servi JEHOVÆ Davidis,
qui locutus est DOMINO verba Cantici hujus, eo die,
quò liberaverat eum DOMINUS de manu omnium
inimicorum suorum, & de manu Saulis.

2. **E** I dixit: Ex intimis visceribus dili-
go te, JEHOVA, fortitudo mea.

3. JEHOVA, petra mea, & arma
mea, & liberator meus: DEVS
meus, rupes mea; ad eum confugiam;
scutum meum, & cornu salutis mea, elevatio mea.

4. Laudandum invocabam JEHOVAM:
& ab inimicis meis salvabar.

5. Circumdederant me funes mortis, & torren-
tes Belial terruerant me.

6. Funes inferni (sepulchri) circumdederant me:
præveniant me laquei mortis.

7. In angustia mihi (id est, cum ego essem in an-
gustia) invocabam Jehovam, & ad DEUM meum
clamabam: audiebat de palatio suo vocem meam: &
clamor meus in conspectu ejus veniebat in aures ejus.

8. Et commota est, & tremuit terra; & funda-
menta montium turbabantur, quoniam ira erat illi.

9. Ascendebat fumus per nares ejus, & ignis ex

DISPUTATIO THEOLOGICA
IN PSALMUM
DAVIDIS
selectissimas Notas
exhibens
In Regia Academia GUSTAVANA, sub Do-
ctorum Honoris et ad Honorarium
PRESIDE
ANDREA VIRGINIO, SS. Theol. D.
& Prof. Primar. nec non Prolo. Syndicij,
quod est in vivaria, Abbatore, & Munit. Collegij
Scolio:
Respondens
MAGNO WESTADIO, Medic. Sec.
In Auditorio Majori d.
49041 1404
Dordani Livonorum
Exp. J. JOHANNES KOEHLIN, Typogr. Typog.
ANNO M. DC. LXX.

ore ejus devorabat: Carbores succensum sunt ab eo.
10. Et inclinavit celos, & descendit: & caligo
sub pedibus ejus.

11. Et vehebatur super Cherub, & volabat: &
agitabatur super alas venti.

12. Ponebat tenebras latibulum suum circa se, ta-
bernaculum ejus, tenebras aquarum, nubes aetheris:

13. Præ splendore (qui erat) coram ipso, nubes
ejus transibant: grando & carbores ignis.

14. Et intonuit de celis Jehova: & altissimus
dedit vocem suam, grandinem & carbores ignis.

15. Et mittebat sagittas suas, & dissipavit eos: &
fulgura multitudinis, & conturbabat eos (scilicet
hostes.)

16. Et apparebant inundationes aquarum, & re-
velabantur fundamenta orbis, ab increpatione tua,
ô Jehova, à flatu Spiritus naris tui.

17. Misit ab excelso, apprehendit me, (&) ex-
traxit me de aquis multis.

18. Eripiebat me ab inimico meo forti, & ab o-
dio habentibus me: quoniam robustiores erant me.

19. Præveniant me in die contritionis meæ: &
fuit Jehova baculus mihi.

20. Et educebat me in latitudinem: eripiebat me,
quoniam benevolebit mihi.

21. Rependebat mihi Jehova secundum justitiam

22. Quia

meam: secundum puritatem manuum mearum tribu-
ebat mihi.

22. Quia custodi vias Jehova: & non impie
descivi à DEO meo.

23. Quia omnia judicia ejus coram me, & sta-
tuta ejus non abjeci (submovi) à me.

24. Et fui integer cum eo. & servavi me ab ini-
quitate meâ.

25. Et rependit Jehova mihi secundum justitiam
meam; secundum puritatem manuum mearum, co-
ram oculis ejus.

26. Erga piuum exhibes (ostendis) te piuum: & er-
ga virum integram exhibes te integram.

27. Erga puram exhibes te puram; & cum per-
verso agis perversè (præbes te distortum.)

28. Quoniam tu populum oppressum servabis: &
oculos superbos dejicies (humiliabis.)

29. Quoniam tu illuminas (accendis) lucernam
meam: Jehova DEVS meus illuminat (lucere facit)
tenebras meas.

30. Quoniam in te currebam accinctus: & in
DEO meo transiliebam murum.

31. DEI integra via est Sermo Jehova, exco-
elus, clypeus est omnibus confidentibus in ipso.

32. Quoniam quis (est) Deus præter Jehovam?
& quis fortis præter DEVM nostrum?

33. *Is DEVS praecegebat me virtute (robore)
 & ponebat integram viam meam.*
34. *Adaequavit pedes meos sicut cervarum:
 & super excelsa mea statuit me.*
35. *Qui docet manus meas ad praelium: & con-
 terebatur arcus arcus manibus (brachiis) meis.*
36. *Et dedisti mihi scutum salutis tuae, & dexte-
 ra tua fulciebat me: & humiliatione tua magnifica-
 bas me.*
37. *Dilatasti gressus meos subtus me, & non
 nutarunt tali mei.*
38. *Persequebar inimicos meos, & comprehen-
 debam illos: nec revertabar, donec consumsissem eos.*
39. *Percutiebam eos, & non poterant surgere:
 cadebant subtus pedes meos.*
40. *Et praecinxisti me robore ad bellum: facie-
 bas curvari insurgentes adversus me, subtus me.*
41. *Et inimicorum meorum dedisti mihi cervi-
 cem; & osores meos exterminabam (ipfos.)*
42. *Clamabant, & non erat Salvator; ad Je-
 hovah, & non respondit eis.*
43. *Et comminuebam eos, ut pulverem coram
 facie venti: sicut lutum platearum evacuabam eos.*
44. *Liberabas me à contentionibus populi, po-
 nebas me in caput gentium; populus, quem non no-
 ram, serviebat mihi.*

45. *Ad*

45. *Ad auditum auris obediens mihi; filii a-
 lienorum mentientur mihi.*
46. *Filii alieni emarcescebant, & trepidabant
 (coarctabantur) è penetralibus suis.*
47. *Vivat (vel vivit) Jehova, & benedicta
 rupes mea; & exaltetur Deus salutis meae.*
48. *DEVS, qui dat vindictas mihi; & subdit
 populos sub me.*
49. *Liberator meus ab inimicis meis, & ab in-
 surgentibus in me exaltabas me; (&) à viro violen-
 to eruisti me.*
50. *Propterea celebrabo te inter gentes, Jehova;
 & nomini tuo psallam.*
51. *Magnificans salutes Regis sui, & praestans
 misericordiam uncto suo David; & semini ejus in
 perpetuum.*

Nota.

Epigraphe seu titulus hujus Psalmi ita habet: *Præcentorò
 Servi Jehovæ Davidis, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, eo die, quò
 liberaverat eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Sau-
 lù. In hoc titulo 1. Autor Psalmi indicatur: Primarius est Spiritus S.
 qui per os Davidis locutus est 2. Samuel. 23. v. 2. Secundarius est Da-
 vid Rex populi Israelitici, qui se prædicat Servum DEI, tum ut osten-
 dat se non temerario ausu, nec malis artibus invasisse regnum, sed
 id à DEO sibi traditum esse, tum ut aliis Regibus & Principibus, quos
 titulorum titillat prurigo, exemplum insignis humilitatis ac mode-
 stia præbeat. Maxima enim Regum est gloria agnoscere, se ser-
 vos esse DEI, & ministros justitiæ: 2. tempus edicti hujus carminis nota-
 tur: Condidit enim Psalmum hunc David decursò jam stadiò &
 finito*

finito praelio cum omnibus hostibus suis, & potissimum cum Saule, qui crudelius, quam ulli alii, eum persecutus erat: Et historia, 2. Sam. 22. c. descripta, ex qua hic Psalmus desumptus est, clarè ostendit, eum proximè ante novissima verba & obitum Davidis concinnatum fuisse: unde apparet, David sub finem regni sui, cum jam omnia essent in statu pacato, non indulgisse voluptatibus, ut plerique solent, nec superbuisset gloria rerum gestarum, sed totum illud tempus senectutis suæ meditationi beneficiorum divinorum ac preceationibus insumpisse. *Observes hic, Saulem seorsum numerari, quia is erat hostis Davidis præcipuus: Unde regula: Conjunctio copulativa non solum conjungit, sed & quandoque in eo, cui additur, aliquid præreliguit singulare designat: Et in hoc genere loquendi Copulativa, &, idem valet, ac, Et præsertim, seu potissimum. 3. argumentum & materia Carminis etiam commemoratur: Est enim Τριuμφικόν, sive triumphale Carmen, in quo David victorias suas, quas DEI auxilio de hostibus suis, toto tempore regni sui, reportaverat, grata mente celebrat, DEOq; toto pectore gratias agit. Cum autem David typum gesserit Christi & Ecclesie, rectè etiam hic Psalmus ad certamina & victorias Christi, atque aded ad totius Ecclesie militiam in hac vita accommodatur à Paulo Rom. 15. v. 9. & ab aliis Interpp. Nam David hæc de se recitans mentè intuebatur Christum, quem cogitabat habiturum similes ærumnas, & gloriosas victorias, nec non sciebat, Ecclesiam omnium ætatum similia passuram, tandemq; in cœlis gloriosè triumphaturam esse. Cæterùm hic Psalmus à D. Gesnero in quinque dispescitur partes: Primum enim proponit David gratiarum actionem: Secundò narratione persequitur calamitates, in quibus fuerit, & quàm mirabiliter ex illis à DEO sit ereptus & liberatus. Tertiò bona sua opera, quæ Dominus beneficio liberationis remuneravit, enarrat. Quartò spem inde concipit de aliis quoque liberationibus similibus. Denique ita concludit, ut exorsus fuerat, gratiarum nempe actione.*

2. v. 2. *Orditur Psalmum à propositione, quæ est εὐχαριστή, & plena suavissimorum gratæ mentis affectuum: Ego, inquit, ex intimo corde te diligam, Domine: Gravissima emphasis est in verbo דרך quòd propriè significat, ex intimo cordis affectu aliquem diligere, seu, ex intimis visceribus ad aliquem ferri: Voluit autem hoc verbo innuere non*

perfe

perfectionem, sed integritatem saltem ac sinceritatem dilectionis, quæ se jungit se ab hypocritis, qui linguâ tantùm & ore dilectionem DEI profitentur, cum interim cor eorum ab omni pietate longissimè absit,

3. v. 3. *Propositionem expolit & illustrat σπασθῆναι sive congerie multorum epithetorum & appellationum DEI, quæ indicantur causa, quæ ipsam ad ejusmodi gratiarum actionem instituendam impulerunt: Et 1. quidem appellat Deum fortitudinem suam h. e. qui instruxit eum potentiâ, robore, ac magnitudine animi, ut omnes hostium insidias & insultus fortiter sustinere potuerit. Ponitur enim hic per metalepsin effectus pro causa, 2. Petram suam: Metaphora est in hac voce, sumpta ab his, qui ut tuti sint ab hostibus, latebras quærunt in cavernis petrarum, ut David, cum Saul eum persequeretur; Voluit autem hoc epitheto indicare, se non tam propter hæc latibula tutum fuisse, quàm quòd à Domino occultaretur & servaretur: Etsi enim media concessa in periculis suis quæsierit, tamen agnoscit, se his mediis non potuisse servari, nisi Dominus eum servasset, Alii Deum ideo petram dici existimant, quòd fiducia nostra tutò ei innitatur, & stet immota atque incòcussa, sicut ædificium super petram collocatum. 3. Præsidium suum: Hebræa vox מַצְדִּיקָא significat locum naturâ & arte munitum, quò tempore venationis h. e. imminentium periculorum nos recipimus: Est igitur & hæc appellatio DEI metaphorica, quæ David significare voluit, se instar fætæ expositum fuisse libidini & injuriæ hostium, qui tanquam venatores undique ipsi insidiati fuerunt, retia tetenderunt, foveas pararunt, & omnis generis technas, dolosq;, quibus ipsum caperent, excogitarunt: sed Deum præbuisse sibi tutum receptum, & adversus vim hostium se tutatum esse: 4. Liberatorem suum, qui jam ab hostibus circumventum & oppressum, cum nullum pateret effugium, præter omnium spem & opinionem in libertatem asseruit. 5. *Ἰ. e. Deum potentem, seu potentiâ prævalentem.* B. Lutherus de hoc nomine sic disserit: Das Wort El, heist wol nach den Buchstaben Kraft/ oder kräftig: Aber wann es ein eigener Name ist (wie hier) so heist es durch die ganze Schrift/ GOTT/ der allein Kraft hat. 6. *Rupem suam*, cujus præsidio tutus fuit ab omnium hostium irruptione & violentia; ideoque addit huic epitheto: *Sperabam in eum i. e. fiduciam in illum collocabam, sive protectionis causâ me ad eum recipiam.**

B

passionum ipsius multitudo & acerbitas denotatur, simul tamen & brevitās, sicut torrentis aquæ citò dilabuntur, cum non ex fonte perenni, sed imbribus & nivibus solutis existant. 2. Nomen *Belial* ratione etymologiae significare in genere id, quod nihil prodest: componitur enim ex בַּיִל non seu nihil, & verbo $\text{פָּרַע$ profuit, confer *Esa.* 44. v. 9. 10. In specie verò & principaliter significare h. l. *Diabolum*, qui non modò nihil prodest, sed autor quoque est omnium malorum; & consequenter etiam *Diaboli organa*, quales sunt homines impii & mali, quibus tanquam suorum scelerum ministris utitur diabolus.

6. v. 6. Repetit majoris evidentiae causam eandem sententiam: *Funes inferni*, inquit, circumdederunt me: prævenerant me laquei mortis. Quibus verbis indicat, se in magno periculo mortis, atque dehinc in summis angustiis & pavoribus fuisse constitutum, ex quibus nulla vi aut ope humana eripi potuerit. Locutio enim hæc est metaphorica, & 1. Per funes inferni & laqueos mortis intelliguntur magna & gravia pericula, quæ mortalibus horrendum incutiunt terrorem, ac præsens minantur exitium. 2. Phrasi, funibus inferni circumdari, videtur *Psalmista* alludere ad fascias sepulchrales, quibus cadavera ligantur; Ut sensus sit: Ego periculo mortis non aliter eonstrictus tenebar, quam qui fasciis sepulchralibus ligati jam ad sepulchrum efferuntur. 3. Phrasi, præveniri laqueum mortis, indigitur subito & præter opinionem ingruens periculum, quò ita turbatur animus, ut nullum in rebus humanis inveniat remedium: Hinc mens Prophetæ est: priusquam animadverterem, oppressus sum illis periculis, adeò ut nullum exitum invenire potuerim his malis.

7. v. 7. Commemorat, quid in tantis periculis & angustiis constitutus fecerit: *In angustia*, inquit, *mibi* (i. e. cum ego essem in angustia) *invocabam Jehovam, & ad Deum meum clamabam*: audiebat de templo seu palatio suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus perveniebat in aures ejus. Duo sunt hic consideranda 1. quòd *David* in arumh suis non confugerit ad idola, aut humana quaesiverit præsidia, sed ad preces se converterit, & verum Deum *Israelis*, cui *Jehova* nomen est, invocaverit. Observes hic אֲוֹנֹתַי & incrementum in verbis, *invocabam & clamabam*, quibus serium studium & ardor precandi denotatur: Non enim semel, nec segnitè aut languidè, sed sæpe & magna contentione clamavit ad Deum, Non-

nulli

nulli in necessitatibus constituti satis esse putant, si semel atque iterum Deum invocent, ideoque si Deus non mox preces ipsorum exaudiat, indignantur, & precari desinunt. Alii etsi ingeminant preces, tamen faciunt id segnitè aut frigidè, quia paulatim, cum periculum crescit, & differtur auxilium, languescit fides. Docet autem *David* suò exemplò, contrarium esse faciendum, & tamdiu precibus instandum, donec nos Deus exaudiat. 2. quòd preces *Davidis* non fuerint irritæ, sed benignissimus Pater cælestis de templo seu palatio suo vocem ejus audierit, & clamor, quem in conspectu ipsius h. e. in vero DEI timore, emisit, aures ejus penetraverit, & paternum animum ad auxilium ipsi ferendum commoverit. Observes hic iterum 1. nomen Hebræum הַיְכָל à consummata pulchritudine deductum, significare & palatium regium, & templum. Per utrumque intelligitur usitato scripturæ more cælum Dei Majesticum, seu lux illa inaccessa, quam DEUS inhabitat. 1. *Tim.* 6. v. 16. 2. Vultum & aures Deo attribui per ἀνθρώπων πρόσωπον , ut sæpè dictum.

8. Versibus novem subsequentibus describitur ingens & horribilè tempestas, quæ Deum hostes *Davidis* & *Ecclesiæ* vindicaverit & puniverit. Orditur autem vates hanc descriptionem à tempestate subterranea, sive terræ motu, de quo ita differit v. 8. *Et commota est, & tremuit terra, & fundamenta montium turbabantur, quoniam ira erat illi. Tres* hic commemorantur species terræ motus: prima dicitur succussio, cum terra quatitur ac sursum deorsumq; movetur: Et hanc vult *David* intellectam, cum dicit, *terram esse commotam. Altera* tremor seu vibratio terræ vocatur; In fontibus exprimitur verbò רָעַד tremuit, quod hic non simplicem tremorem, sed vibrationem cum boatu & mugitu significat: Nam, ut *Seneca* 6. *naturalium* c. 3. & 21. tradit & experientia testatur, antequam terra moveatur, solet mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus. Tertia nuncupatur inclinatio, qua montium culmina in latera nutant navigii more: Et de hac ita loquitur *David*: *fundamenta montium turbabantur. Per montes* hic intelliguntur cæli adspectabiles 2. *Sam.* 22. v. 8. Montes enim dicuntur fundamenta cælorum, quia videtur è longinquo cælū iis quasi incumbere, quemadmodum *Atlas* fingitur numeris sustinere cælum, Cæterum ne putemus terræ motum, aliq; in natura prodigia, cum naturales causas habere tradantur, con-

B 3

tem.

temnenda esse, ideo addit Pfaltes, *quonia ira erat illi*; quibus verbis ostēdit (1) causam terræ motus *principalem* esse ipsum Deum, qui causis *naturalibus* ad eum concitandum utitur: Fit namque terræ motus, quando magna spirituum seu exhalationum copia intra terræ meatus conclusa exitum quærit, & cum egredi nequeat, obstante partium terræ soliditate aliisque causis, vi tandem perumpit, & sæpe numero ingentes aquarum fluctus, aut globos igneos, aut arenam secum ejaculatur; qua de re Studiosi consulant *Aristot. 2. Meteor. c. 7. & seqq.* (2.) terræ concussionem & vibrationem, montiumq; inclinationem certum esse indicium *justissimæ iræ divinæ* adversus impios, *Ultimò* hic notandum, licet in historia Davidis non explicita fiat mentio liberationis per horribiles tempestates & fulmina factæ, tamen id non satis esse causæ, quod id factum esse negare velimus, præsertim cum in *2. Sam. cap. 21.* quod *immediatè* hunc Psalmum antecedit, quatuor commemorentur acerrima prælia, cum Philistinis gigantibus Raphaitis commissa, quæ brevissimè saltem recitantur, *modo & ratione repoteatæ victoriæ non satè expressæ.* Non ergo est dubium, quin isti Gigantes Raphaitæ fulminibus sint repressi, & divinâ potentia concussi, & quod David eam ipsam mirandam liberationem, quâ Gigantes sunt prostrati, hoc carmine celebrare voluerit.

9. v. 9. & seqq. commemorantur prodigia, quæ *in superficie terræ* spectanda veniunt, quoties horrenda tempestas ingruit: Sic enim porrò ait Vates: *Ascendebat fumus in ira ejus* (alii: *per naves ejus*;) & ignis ex ore ejus devorans, (alii: *devorabat*;) *Carbones succensî sunt ab eo.* Quatuor hic notanda veniunt: 1. Per *fumum* intelliguntur exhalationes humidæ & densiores, quæ cælum obnubilantes conspectum Solis & fulgorem stellarum terræ eripiunt, & caliginem seu tenebras inducunt. 2. Per *ignem* intelliguntur evaporationes siccæ & calidæ, quæ gignunt fulgura & fulmina. 3. Quod dicit vates, *fumum ascendere per naves DEI*, & ignem egredi *ex ore ejus*, id *αἰθερωπονοειδῶς* de DEO irato est intelligendum. De homine irato dicimus, quod nil nisi fumum & ignem spiret; Sic idem etiam per *αἰθερωπονοειδῶς* dicitur de DEO irato, 4. Quod dicit, *carbones succensos fuisse ab igne*, eò significat, flammam non fuisse evanidam, sed durabilem, quæ corpora hostium penitus consumpsit, & nil nisi carbonem reliquit.

10. v. 10. Indicat Vates, in tempestatibus cælum nubibus subito obduci, Deiq; præsentiam illis ceu argumentò certissimo ostendi: Sic enim ait: *Et inclinavit cælus, & descendit, & caligo sub pedibus ejus.* *Tria* sunt hic notatu digna: 1. Phrases, *inclinare cælum*, idem h. l. significat, quod cælum obnubilare, seu densis & atris nubibus, quæ *caliginis* nomine hic indigitantur, obducere. Quando enim cælum talibus obducitur nubibus, tunc *inclinari* dicitur, non quod *revera propius ad nos descendat, sed dimittat*, sed quia *id in nostris oculis ita apparet.* 2. *Descendere* dicitur DEUS non *motu locali*, quia semper ubique est totus, sed *ostensione seu manifestatione suæ præsentis & potentis divinæ*, cum præter usitatum naturæ cursum mirabiliter facit aliquid in terra, quò præsentiam & potentiam suam declarat: Et quidem tantò magis descendere videtur, quantò propius illæ res, per quas suam potentiam ostendit, ad nostros sensus accedunt: sic quando cælum est serenum, & nullis obductum nubibus, videtur impiis quàm longissimè abesse, nec curare res humanas; itaque tunc solvuntur in luxum & libidinem: sed quando cælum densis & atris obducitur nubibus, videtur propius ad eos accedere, & ipsis tristi aspectu pœnam minitari; itaque tunc metu constringuntur impii. 3. *Pedes* hic DEO *metaphoricè* tribuuntur ad significandum respectu *piorum auxilium DEI*; respectu *v. impiorum vindictam seu ultionem DEI.*

11. v. 11. Pingit DEUM veluti Regem, qui vehatur curru alato, & perniciosissimo volatu de cælo descendat, ad liberandos suos & evertendos hostes: *Et vehebatur*, inquit, *super Cherub, & volabat; Et agitabatur super alii venti.* *Metaphorica* est hæc locutio, quâ Spiritus Sanctus ad nostrum captum sese demittit, & de rebus divinis ex nostro ingenio nobiscum loquitur, atque ita DEO *currum* attribuit, cui infideat, eumq; nominat *Cherub*, h. e. *alatum currum, & volatile vehiculum*; cui jungit etiam *equos*, qui sunt *spiritus seu venti alati* h. e. *summè celeres, agiles & perniciosissimi.* Summa v. & sententia hujus metaphoricæ locutionis hæc est, quod cum DEUS horrenda tempestate suam vindictam in hostes Davidis exercere vellet, præmiserit subitum *turbinem, procellam & presterem* sive spiritum inflammatum. Notentur hic sequentia: 1. Vocem *כַּרְבּוֹת* significare, *vel* alatum faciem humanam, *vel* juxta aliorum sententiam, imaginem aut rem quamcunque, sive substantiam habeat spiritualem sive corporalem, creatam aut

arte fabricatam, quæ tanquam volucris alis expansis vehitur, aut propter motus celeritatem volare dicitur. 2. *Vocem* hanc tribui etiam *Angelis*, *Gen* 3. v. 24. *Esa*. 6. v. 2. *partim* propter celeritatem, *partim* quod tali forma in propitiatorio, & postea in templo Salomonis iussu ipsius DEI ita depicti & formati erant. Ideoque 3. quod hic dicitur DEUS *super Cherub uehi*, eo significari, ventorum impetus ipsius mandato *per Angelos* gubernari. Neque enim ventis tantum, & elementaribus istis spiritibus utitur ad vindictam impiorum, sed cœlestes quoque spiritus & Angelos adhibet, quorum multo major est agilitas & celeritas. 4. Davidem hac pictura, qua inducit DEUM *insidentem Cherubim*, alludere simul ad arcam fœderis, in cujus propitiatorio duo erant Cherubim, de quorum medio DEUS loqui populo suo, & responsa dare solebat *Exod.* 25. v. 22. Vult igitur significare, hunc DEUM, qui se in hoc populo patefecerat, & de sua præsentia inter Cherubim palam testatus erat, & qui cum populo fœdus pepigerat, eundem esse, qui afflicto opem tulisset.

12. v. 12. Explicat ὑποτύπωσιν illā nubiū supra v. 10. propositam: Ostendit enim, quid per *caliginem sub pedibus DEI* intelligi velit, *nubes videlicet atras & densas*, de quibus denuo ita disserit: *Ponebat tenebras latibulum suum in circuitu ejus* (alii: *circa se*), *tegmen* (sive *tabernaculum*, quod per appositionem jungitur tenebris, quæ erant tabernaculum circa ipsum) *tenebras* sive *tenebrositatem* (nempe) *aquarum, nubes ætheris*. Quibus verbis omnes *causæ nubium* comprehenduntur: 1. *Causa efficiens est DEUS*, qui illas colligit, & sua veluti manu suppositâ sustentat, ne decidant, & orbem terrarum submergant. 2. *Materialis sunt aquæ, & exhalationes in aquam resolutæ, quæ à loco, in quo continentur, hinc nubes ætheris sive æris sublimis vocantur*. 3. *Formalis* consistit in eo, quod sunt exhalationes *densæ & atræ*; hautq; obscurè hinc inuenitur per *tenebras & tenebrositatem aquarum*, quippe quæ non à raris, sed densis & atris exhalationibus inducuntur. 4. *Effectus nubium sunt primum tenebræ*: Solent enim radios Solis intercipere, atque sic orbi terrarum tenebras inducere: *Deinde tempestas horrenda*, quæ in proximo versiculo describitur. Cæterum fit quoque mentio *hinc rei per nubes significatæ*, quæ est *præsentia Majestatis divinæ*, cujus ratione eadem appellantur *latibulum & tabernaculum DEI*, metaphorâ à *castris* desumptâ, quâ

DEO

DEO tentorium attribuitur, quod in sublimi sit aëre. Quando enim DEUS irascitur, & elementares suos exercitus in aciem contra impios deducit, castra sua in nubibus collocare videtur. Vult ergo Vates hoc dicere, Deum, quamvis ad vindictam descendat, & signa iræ suæ ostendat, interea tamen prohibere, & arcere homines à sui conspectu, perinde ac si Rex quidam populo infensus in recessum & latebras se abdat, ne faciem ipsius intueantur. *Alii* volunt his tenebrosi nubibus majestatem & gloriam Dei occultari, ut populus Dei hinc discat, eam majorem esse, quàm quæ hominibus possit exhiberi in ulla aliqua specie. *Alii* sentiunt, Deum se nubibus occultasse, ne Israel ipsum ullâ formâ pingeret, vel ulla imagine majestatem ejus diminueret & obscuraret: Sed *prior ratio* magis congruit argumento hujus Psalmi, & Chaldaicæ paraphrasi, quæ talis: Collocavit Deus majestatem suam in caligine, & circumdata est nubibus gloria ejus, sicut tabernaculo; & descendere fecit pluviam super populum suum, & aquas validas à commotione nubium tenebrosarum super impios ab altitudine mundi.

13. v. 13. 14. 15. Describit *horrendam istam tempestatem*, quâ, hostibus dissipatis & profligatis, ipse fuit liberatus: Sic enim ait: *Propter fulgorem* (alii: *præ splendore, qui erat*) *coram ipso nubes ejus transibant; grando & carbones ignis*: Et *tonavit in cœlū*, (alii: *intonuit de cœlū*) *Jehova, & altissimus dedit vocem suam; grando* (alii: *grandinem*) *& carbones ignis*: Et *misit sagittas suas, & dispersit eos; & fulgura* (alii: *fulmina*) *projecit* (alii: *multiplicavit*) *& disperdidit eos* (sc. hostes.) Quatuor hinc commemorantur tempestatis species: *Prima est fulgur*, quod nubes ruptæ dissilierunt: Quod enim dicit, *nubes transisse*, id non de usitato motu nubium, sed de ruptura earum intelligendum est: Verbum namque רָעַם non simplicem transitum, sed ejusmodi *vehementem accelerem trajectionem ac motum* notat, qui igni & quidem vi impulsio propriè competit, qualis est, cum igniti globi vi tormentorum propulsi eliduntur. *Alterâ est grando*, per quam non modò naturale istud meteorum, quod à Physicis grando appellatur, sed ejusmodi lapidosus imber intelligitur, qualem pugnante Josuâ Deus in regulos Cananæorum immisit, quò multò plures occubuerunt, quàm quos gladio percusserunt Israelitæ *Jos.* 10. *Tertiâ est tonitru*, quod Hebraicè dicitur רָעַם i, e. *tumul-*

C mul-

multus, strepitus, vehemens sonus, seu fragor sonorus: Psalmographus id nominat *vocem Dei*, qua tanquam clamore quodam hostes increpat, iisq; terrorem incutit. *Quarta* in hac tempestate sunt *fulmina*: Hebraicè מִקְרָאֵי קֶדֶשׁ quod significat & *fulgura* & *fulmina*, quia eadem est & fulguris & fulminis materia: Spiritus enim in nube accensus & elisus, fulgur est; in inferiora vi projectus fulmen est. Vocantur autem hic 1. *carbones ignis* seu *igniti*, tum ob similem cum carbonibus generationem: quemadmodum enim è ligno humente, cum exarserit, carbonum crepitu expulitur, ita è nubibus collisis fulmina projiciuntur; tum ob similem effectum, quò obvia quæq; comburunt. 2. *Sagittæ Domini*: Fulmina enim sunt veluti tela & spicula divinæ iræ, quæ in hostes suos torquere solet: Hinc ait Psalter, *Deum sagittis suis hostes disperisse, & fulminum, seu fulgurum multitudine eos contrivisse.*

14. v. 16. Enarrat, quid ex insolita hac tempestate eveniret: *Et apparebant*, inquit, *inundationes aquarum, & revelabantur fundamenta orbis, ab increpatione tua, Domine, à flatu venti nasi tui, sive Spiritus naribus tuis.* Duo hic commemorantur horrendæ istius tempestatis eventa: *primum* enim *apparuerunt magnæ inundationes aquarum*, quibus terra prorsus operta fuit: *Deinde revelata sunt fundamenta orbis*, h. e. horreni illi cataclysmi, sive moles illæ aquarum à terra perfracta absorptæ fecerunt *ingentes voragines & profundos hiatus*, ut quasi *fundamenta orbis*, h. e. intima terræ, sive imæ terræ partes aperirentur & revelarentur. *Alii* sentiunt, Davidem *alludere ad transitum Israelitarum per mare rubrum*, ubi aqua in morem scopulorum erecta fundum ipsum præbuit conspicendum. *Observandum* hic est per *flatum naribus DEI* intelligi turbinem, qui aquas vi magna contorquens fecit, ut in terram irrumperent, atque ita voraginem facerent.

15. v. 17. Ostendit, qua ratione sit liberatus; *Misit*, inquit, *de sublimi* (alii: *ab excelso*) & *suscepit me* (alii: *apprehendit me,*) & *extraxit me de aquis multis.* *Observandum* hic est 1. orationem hanc esse *ellipticam*, & verbo, *misit*, subintelligi *vel* manum Dei auxiliatricem, *vel* Angelum à Deo cœlitus missum, ut sensus sit: Non humanis consiliis & auxiliis, sed vel *immediate potentiâ divinâ*, vel *mediate per Angelum* à Deo sum liberatus, qui me veluti manu prehensum eripuit, ne simul cum impiis Cataclysmo submergerer. 2. Per *aquas* in Scriptura *tropicè* intelligi *copiosum exercitum, & graves afflictiones*, quibus pre-

mun-

muntur & obruantur tum pii, tum impii, & tantum non absorberentur, confer. *Esa. 8. v. 7. Psal. 32. v. 7. Psal. 69. v. 12. 17. Job. 22. v. 11.* Sic ergo David comparat hic hostium suorum sævitiam *aquis multis* & torrentibus rapidis, ut *periculi & calamitatis suæ magnitudinem ac multitudinem* simul exprimat.

16. v. 18. Exponit, è quibus calamitatibus sit ereptus, sic porro canens: *Eripiebat me ab inimico meo forti, & ab iis, qui oderant me, quia robustiores erant me. Per inimicum fortem Davidis* hic procul dubio Saul intelligitur, à quo quàm variè vexatus, & quàm mirabiliter ab ejus insidiis ereptus sit, historia luculenter docet 1. *Sam. 18. v. 19. 20. 21. 22. 23. 24. &c.* Per *eos, qui odio habuerunt ipsum*, indignantur Saulis aulici, *partim aperti hostes*, qualis erat Doëg ille Idumæus, qui Sacerdotes Nobenses octoginta quinque viros, & Abimelechum Sacerdotem calumniosè apud Saulem traduxit, suaq; manu interemit 1. *Sam. 22.* Item *Ziphæi*, qui Davidem bis prodiderunt Sauli 1. *Sam. 23. partim fraudulentis insidiatores*; qui habent mel in ore, & fel in corde. *Jer. 9. v. 8.* Cæterum hostes istos describit & à *voluntate, & à facultate nocendi*: *Ardebant*, inquit, *capitali adversus me odio, & viribus longè superabant me*: Quod idè addit, ut potentiam Dei magis commendet, & amplificet, ostendatq; tunc maximè oportunum esse Deo tempus juvandi, cum sustinendis hostibus fuerit impar. *Notandum* hic est, particulam *quod* à nonnullis *adversativè* exponi per *quamvis*; sed à plerisque; reddi *causaliter* per *quoniam*.

17. v. 19. Prædicat auxilium Dei in die calamitatis suæ sibi præstitum: *Præveniant me*, inquit, *in die calumnitatis* (alii: *contritionis, vastationis*) *meæ: Et fuit Dominus baculus mihi.* Sensus Psalmistæ est: *Subito irruerant in me incautum, & nil tale cogitantem opprimere conabantur: Humana præsidia omnia me destituebant, & nihil nisi præsentissimus interitus mihi tunc ob oculos versabatur; sed Dominus, in quo confidebam, erat mihi instar fulcri & scipionis, qui me sustentabat adversus omnium tempestatum fluctus, & adversariorum insultus, ne prorsus collaberer aut opprimerer.*

18. v. 20. Aliud enarrat beneficium, quòd non minus gratò prædicat animò, quàm prius, sic porro canendo: *Et educebas me in latitudinem: eripiebat me, quoniam bene volebat mihi* (alii: *quia complacui ei.*) *Primum* hic exprimit *ipsum beneficium in se divinitus collatum*, inquit, &

Et educat me &c. Educere in latitudinem significat ex carcere & angustiis educatum statueret in loco amplo & spaciofo, ubi liberè respirare & recolligere se queat: Significat igitur, se antehac fuisse tantis angustiis & doloribus oppressum, ut quasi tristissimo carcere inclusus nūquam respirare potuerit: nam cor in doloribus ita contrahitur & comprimitur, ut etiamsi homo verferet in libero aère, tamen videatur in angustias redactus: Contrà verò ubi liberatur illis doloribus, rursus se dilatat cor, & diffunduntur spiritus, qui antè obfederant, & impediverant respirationem, & ita dicitur rursus educi in latitudinem, dum, depulsâ omni tristitiâ, dolore & angustiâ, perfruitur novò gaudiò, quò animus laxatur. Deinde addit quoque *causam beneficii in se collati*: *quoniam*, inquit, *benè volebat mihi*: quibus verbis totum beneficium liberationis refert non ad sua merita, sed ad solam Dei beneplacitum & gratuitum ejus favorem, quò se nihil tale meritum præ aliis mirificè completus est.

19. v. 21. 22. 23. 24. & 25. Bona sua opera, quæ Deus beneficio liberationis cōpensavit, brevibus exponit, dicens: *Rependebat mihi Dominus secundum justitiâ meam: secundum puritatē manuum mearum tribuebat mihi: Quia custodi vias Domini, & nō impiè defeci à Deo meo: quia omnia judicia ejus coram me, & statuta ejus nō abjeci à me: Et sui integer cum eo, & abstinui (servavi) me ab iniquitate mea: Et retribuit Dominus mihi secundum justitiâ meam; Secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.* In his versibus digna sunt notatu sequentia: 1. Per *justitiâ* non intelligitur hîc justitia personæ, qua quis in judicio Dei justificatur, & vitam æternam consequitur; Sed justitia causæ, quam David hostium suorum calumniis & obrektionibus opposuit: 2. Per *puritatem manuum* significatur vitæ & actionum integritas: *Manus* enim hîc per metonymiam causæ ponuntur pro actionibus & operibus, quæ manibus perficiuntur. Justitia consistit in rectè faciendo; puritas manuum in non lædendo. 3. Particula, *secundum*, non notatur causa retributionis seu liberationis meritoria, sed operum duntaxat antecedentium qualitas, q. d. qualia fuerunt opera mea, talis etiam fuit retributio. 4. Verbis igitur, *rependere* & *retribuere*, innuit Vates beneficium liberationis sibi præstitum, non fuisse meritum seu mercedem bonorum suorum operum, sed præmium gratuitum, quo Deus restatur, sibi opera illa placere, quæ ex vera fide proficiscuntur. 5. Per *vias Domini* intelligitur verbum DEI, quod debet esse norma vitæ &

& actionum nostrarum, & quasi semita, in qua ambulare debemus, & per quam nos oportet in vitam æternam ingredi. 6. Verbum, *custodi vi*, non actum completum, sed inchoatum duntaxat, & conatum significat, ut sensus sit: *conatus sum & capi custodire, & servare verbum tuum.* Hinc Canon: *Verbum, quod actum completum significat, accipiendum est quandoque de conatu & actu inchoato.* 7. Phrasis, *impiè defecere à Deo*, significat non qualemunque lapsum, sed defectionem totalem, quæ hominem à Deo prorsus alienat. Fieri enim potuit, ut interdum laberetur David, quia fuit homo, sed tamen nunquam factus est apostata, hæreticus, schismaticus & blasphemus. 8. Per *Judicem & statuta Domini* intelligitur hîc *synecdochicè*, tota lex divina, ad ejus normam & præscriptum vita & actiones hominum conformari debent: alioqui cum partes legis recensentur, per *judicia* indignantur leges forenses, per *statuta* leges ceremoniales, & per præcepta sive mandata leges morales. 6. Vox *integer*, non significat talem perfectionem, quæ complectitur omnes gradus obedientiæ, & opponitur imperfectioni; sed duntaxat sinceritatem, quæ opponitur hypocrisi & simulationi: Sensus Prophetæ est: Non hypocraticâ aut simulatâ pietate, sed verò & sincerò animi studio adhæsi Domino, & legem divinam sectatus sum. 10. Vocabulum, *iniquitas*, notat hîc illam pravitatem, quæ cum hominibus nascitur, eosq; reddidit pronos ad peccandum, seu iniquè agendum: Emphaticum verò est, quod David hanc iniquitatem nominat suam: Hærebat enim & in ipso hujusmodi iniquitas, & ad peccandum pronitas, quia conceptus & natus erat in peccatis *Psal. 51, v. 6.* Verbis igitur hisce: *Servavi me ab iniquitate mea* non tribuit sibi immunitatem ab omni peccato, sed negat saltem, se frenū laxasse pravitati suæ connatæ, à qua subinde extimulabatur: Sensus ergo Prophetæ est: Cohibui & compefcui auxiliò Spiritus S. concupiscentiam meam pravam, ne iniquè agerem aut ex indignatione & vindictæ cupiditate in aliquod scelus ruerem, quantumvis me libido carnis, vel hostium injuriæ extimularent. Chaldaicus Interpres, annotante D. Gesnero, verbum *שמרתי* & *custodi vi* sive *servavi*, non in prima, sed in tertia persona legitur ita: *Et fuit Conservator animæ meæ à peccato*; qua interpretatione soli DEO gloria integritatis adscribitur. 11. Verbis, *coram oculis Domini*, ostendit Vates, se hanc suæ integritatis commemorationem opposuisse vanis & perversis hostium suorum judiciis: Illi enim longè aliter de ipso

ipso iudicabant, quàm Deus: sed cùm Dei iudicium sit rectum, qui corda & renes scrutatur, ideò nihil, inquit, moror stulta & iniquissima hostium iudicia, modò in oculis Domini sim integer. D. Gesnerus hic iterum annotavit, Chaldaicam paraphrasin pro oculis legere verbum, & sic hunc textum interpretari: Secundùm immundiciem manuum mearum coram verbo ipsius: Voluit autem Interpres hac paraphrasi ostendere, unde David illud Dei iudicium de integritate sua cognoverit, nimirum ex verbo Dei, quippe quod est norma & cœnolura omnis integritatis, mentisq; divinæ interpres.

20. v. 26 & 27. Transfert hypothesin ad thesin, & quæ priùs de se & hostibus suis dixerat in specie, nunc accommodat ad omnes fideles, & infideles in genere: Cum sancto, inquit, seu misericordie sanctus seu misericors eris; Cum viro integro & perfecto integer & perfectus eris. Cum mundo mundus eris, & cum perverso perversus eris. Alii sic: Erga pium exhibes te pium; Et erga virum integrum exhibes te integrum: Erga purum exhibes te purum, & cum perverso agis perversè, sive præbes te distortum. Quibus verbis ostendit Propheta, talem unicuiq; esse Deum, qualem se erga eum quisque gerit, h. e. bonis benefacere & malos punire. Sunt autem in his verbis sequentia observatione singulari digna. 1. Nomen יִשְׁרָאֵל quod in Hebræo extat, significationem habet & activam & passivam: Active significat pium, sanctum, misericordem & beneficum, qui Deum colit & amore prosequitur, quiq; proximo suo benefacit: Passive significat κεχαριστωμένον, qui gratuitam Dei misericordiam imputatione justitiæ Christi per fidem est consecutus. LXX. exposuerunt, καὶ ὅσις ὁσὶς ἔσῃ, 2. Deus est sanctus tum absolutè in se; tum relatè ad nos: sanctum enim se exhibet erga sanctos, pium erga pios, misericordem erga misericordes, & beneficum erga beneficos, per verbum suum eos sanctificando, amore prosequendo, & sanctitatem eorum bonis suis spiritualibus & corporalibus in hac & æterna vita largissimè compensando, Job. 17. v. 17. Matt. 5. v. 5 & c.

3. Vir integer & perfectus hic dicitur, qui non simulat pietatem, sed omnia facit sine dolo & fraude. 3. Deus, qui ratione essentiæ suæ est integerrimus & perfectissimus, integrum se exhibet in operationibus erga integros, justis præmiis integritatem eorum remunerando. Quamvis enim interdum differat liberationem, & sinat eos aliquantisper affligi, tandem ostendit, se non dolosè & fraudulentè, sed sincerè & fideliter agere.

5. Vir

5. Vir purus sive mundus hic dicitur, qui non contaminatus aut pollutus est enormibus flagitiis, aut peccatis conscientiam vastantibus, licet non sit purus aut immunis ab omni peccato, puta, ignorantia & infirmitatis: Non enim vivit homo, qui non peccet, 1. Reg. 8. v. 46. 6. Deus purus & sanctus est non tantùm εὐσωδῶς essentialiter, sed etiam se purum exhibet erga puros εὐεργητικῶς, efficienter, ab omni culpa eos purificando, ne in condemnationem eis imputetur. 7. Appellatione perversi notatur hic homo maliciosus, astutus & versutus, qui contemnit omnem sanctitatem, integritatem & puritatem: qui aliud ore loquitur, aliud corde sentit, ac talem se gerit, cui nihil turò committas aut credas. 8. Deus verò cum tali perverso homine dicitur esse perversus, seu potius perversè agere, non quòd talis sit natura: Est enim bonum immutabile, ideo què perverti non potest: neque quòd quicquam perversi operetur; sunt enim omnia Dei opera valde bona: sed quòd alium se erga improbos gerat, quàm erga pios & bonos, videlicet, quòd eos comprehendat in sua astutia, & evertat, ex justissima sua ira eos in sensum reprobum tradendo, Diabolo excæcare & indurare permittendo, & peccata eorum pœnis temporalibus & æternis vindicando.

21. v. 28. Prosequitur eandem sententiam, & tanquam epiphonemate concludit thesin: Quia tu, inquit, inquit, populum pauperem sive oppressum servabis, & oculos superbos humiliabis. Duo hic prædicantur de Deo. 1. quòd populum pauperem sive oppressum servet: Per populum intelliguntur pii, de quibus singulariter loquitur Vates, populum eos nominando, ut ostendat unitatem fidei & Ecclesiæ; de impiis autem loquitur pluraliter, quia ipsorum multò sunt plures, & quia inter se variè distracti, ut eruditè Hugo observavit. Cæterùm quem antea nominarat pium, purum, integrum, nunc nominat pauperem & afflictum, ut ob oculos nobis ponat conditionem piorum in hac vita, quòd videlicet pietatem semper comitetur crux & persecutio. Denique verbò, servabis, innuit Vates, Deum aliquandiu differre quidem liberationem piorum, tamen tandem, ubi patientiam eorum satis probaverit, salutem eis afferre: Servator enim dici non posset, nisi aliquandiu eos suspensos teneret & exerceret. 2. quòd oculos superbos humiliet. Est hæc synecdochica vel metonymica locutio: Tribuit Vates superbiam oculis, quia oculi sunt animi indices, & fastus animi elati facilè in oculis con-

conspicitur: Humiles & modesti incedunt demisso vultu, & dejectis oculis; contrà superbi elato vultu & supercilio: Hinc Gregorius. *Superbis, inquit, per oculos & supercilia, frontem ac vultum, quasi per fenestras prospicit.* Verbò, *humiliabis*, indicat Propheta, Deum quidem superbis aliquandiu indulgere, sed tandem tamen eos trahere ad pœnas. Observes, hæc verbà 2. Sam. 22. paulò aliter legi: *Oculi tui contra superbos, quos dejicis.* Sed hæc varietas in sensu nihil mutat.

22. v. 29. Redit ad hypothefin, & ad probandam Dei benignitatem erga pios adducit exemplum suum: *Quoniam tu, inquit, illuminas (accendis) lucernam meam, Jehova Deus meus illuminat (lucere facit) tenebras meas.* Metaphorica est hæc locutio, & 1. per *lucernam* significantur omnis generis bona, ut sunt *felicitas, opulentia, honor sive gloria, lætitia.* &c. Confer *Prov. 13. v. Num. 21. v. 2. Reg. 21. v. 2. Reg. 21. v. Job. 18. v. 5. 6.* 2. Per *tenebras* econtrà omnis generis mala, ut sunt, *infelicitas, paupertas, ignominia, tristitia* &c. Confer *Job. 15. v. 22. 30. cap. 17. v. 12. cap. 18. v. 6. 18. cap. 19. v. 8.* Sensus igitur Prophetæ est: *Tu es, qui accendis lucernam meam, i. e. tu es, qui prosperitatem meam, qua hæcenus fruor, procurasti, tuq; me existi ad hanc regiam dignitatem, & opibus cumulasti, tu es, qui dedisti mihi lætos successus in bello & in tota gubernatione: Et tu illustras tenebras meas, i. e. tu depellis calamitates & ærumnas, quibus tanquam densissimis tenebris eram obrutus, tu ignominiam meam convertis in gloriam, paupertatem in opulentiam, tristitiam in gaudium, eamq; felicitatem continuabis & augebis: Utitur enim hoc loco verbo futuri temporis, quò continuatio felicitatis istius indicatur.*

23. v. 30. Subjicit rationem, qua priorem sententiam explicat: *Quoniam in te, inquit, conteram exercitum (alii: in te currebam accinctus, & in Deo meo transiliam (transiliebam) murum.* Tris sunt in hoc versu notanda: 1. In Hæbræo hæc leguntur verba *אָרְבָּי וְאֶרְבָּי* quæ dupliciter exponuntur: Alii verbum *אֶרְבָּי* neutraliter exponunt: *Currebam accinctus, ac militatiter indutus & armatus;* Et existimant, Prophetã respicere ad victoriam, quam reportavit de Goliatho: *Alia active, Ego incursionem & impressionem faciebam in turmam hostium:* nam *אָרְבָּי* usurpatur *collektivè* pro *turma militum*, seu pro *cuneo*, sicut nos militem dicimus pro exercitu militum: Et hæc sententia videtur simplicissima.

2. Ver-

5. v. 4. per antithesin discernit *sanctos*, quos *versic. præcedenti* descripsit, à *promiscua impiorum colluvie;* *Multiplicantur*, inquit, *dolores eorum*, (qui) *alium sequuntur:* *Non libabo libamina eorum de sanguine, & non assumam nomen eorum in labia mea:* Quatuor sunt, quæ de *infidelibus & reprobis* hic commemorat Spiritus S. *primùm* ait: *dolores eorum multiplicentur:* Vocabulò *dolorù* Chaldæus Paraphrastes vult significari ipsa idola, quæ multa & varia sibi fingunt homines impij: Sic enim scriptura nonnunquam appellat idola *ab effectu*, quia sunt causa omnis doloris: Alij *doloribus illis* intelligi volunt horribiles furores hominum, qui non verentur, desertò verò Deò, varia sibi numina & idola confingere: Tales sunt & fuerunt furores Ethnicorum, Judæorum, Mahumetistarum, Papistarum, qui subinde sine metu nova numina sibi fabricaverunt: Rectiùs verò his alij de *doloribus temporalibus, & æternis*, ad quos justò Dei judicìo damnantur, hoc locò vocabulum Hebræum *אֲדוֹלָה* accipiendum esse judicant: Scopus enim Prophetæ hic est ostendere, passionem & mortem Christi non prodesse omnibus promiscuè, sed tantùm his, qui sunt sancti, q. d. non sentient nec accipient consolationem ullam ex hac Christi passione & morte homines impij & idololatræ, sed temporalia eorum supplicia evestigio sequentur infernalìa tormenta, atq; ita æternis opprimuntur doloribus & cruciatibus. *Secundò, alium sequuntur*, hoc est, pleno cursu, ut *emphasis Hebraici verbi אָרְבָּי* habet, alium mediatorem extra Christum sibi quærunt: Et hoc ipso vult Spiritus S. causam etiam ostendere, cur dolores eorum multiplicentur: Non enim *absolutò* Dei decretò pœnis sunt destinati, & æternæ damnationi devoti, sed culpa penes ipsos est, quia ordine divinitus institutò, quo ad salutem pervenitur, neglectò sequuntur alium, vel proprias scil. opiniones, & doctrinam hominum, vel idololatriam, & commentitia numina &c. Quid ergo mirum, quòd pereant; siquidem remis velisq; ad perniciem suam contendunt. *Tertiò, libamina eorum de sanguine*, id est, sanguinea seu cruenta, *tauroꝝ scil. & hircorũ à Christo non libantur*, hoc est, sacrificia eorum à Christo non commendantur Deo, ut ea acceptet, & grata habeat: Nulla enim sacrificia, & nulli cultus placent Deo, nisi per Christum ceu summum Pontificem generis humani illa Patri offerantur & commendentur, *Hebr. 13. v. 15.* Cùm igitur impij & infideles Christum pro Pontifice anima-

B

rum

rum suarum non agnoscant, sed eò spretò & abjectò alia sibi numina fingant, certum est, sacrificia & cultus illorum, quantumvis magnos & splendidos, æterno Patri placere non posse: *Quartò nomina ipsorum à Christo non assumuntur in labia*, hoc est, non censentur digna, quorum mentionem Christus coram Patre suo cælesti faciat: Quicumq; enim, inquit *Matth. 10. v. 32.* me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo cælesti; qui verò me negaverit coram hominibus, negabo & ego illum coram Patre meo cælesti: Quemadmodum ergo ad Laodicensem Episcopum ait in *Apocal. 3. v. 15.* *Novi opera tua, quia neq; frigidus es, neq; fervidus, sed tepidus, ideo evomam te ex ore meo:* Eodem pacto hic dicit: *non assumam nomen eorum in labis meis,* q. d. nunquam nomina eorum in memoriam meam redibunt, & licet etiam *in album civium Ecclesia militantis* inserta fuerint, ut olim Judæorum per circumcisionem, & hodiè Christianorum per baptismum, tamen expungentur ea *delibro viventium.*

6. versic. 5. & 6. *ab antithesi* regreditur ad *thesin* propositam; Missis enim *impiis*, à quorum mentione prorsus abhorret, nunc redit ad *sanctos*, quibus meritum Christi prodest, & qui tandem æternæ beatitudinis hæreditatem adeunt, sic porrò canens: *Dominus pars distributionis (alij; portionis) meæ, & calicis mei; tu sustentas sortem meam. Funes ceciderunt mihi in amanu,* (hoc est, amæni seu jucundi: Præpositio enim *in* cum tota constructione nonnunquam nominaliter ponitur;) *utiq; hæreditas præclara (alij; pulchra) est mihi.* Tribus hic pulcherrimis imaginibus pingit & illustrat Christus *singularem illam suam voluptatem & oblectationem*, quam ex fidelibus suis percipit: *Primam* pieturam vel similitudinem sumit à *more* sive *consuetudine* Patrifamilias: quemadmodum enim Paterfamilias singulis ex familia distribuit suum demensum: Ita Pater cælestis est *pars*, inquit Christus, *distributionis meæ & calicis mei*, hoc est, ille mihi ex universo genere humano selectam partem attribuit, quæ nimirum vocem Evangelij amplectitur, & legitimum retinet Sacramentorum usum; Hac ego unicè delector, & pro ea conservanda vitam impendo. *Alteram* sumit à *sorte*: Quemadmodum enim in bonorum distributione cuiq; pars sortitione obvenit; ita Christus ait sibi *sortem* ex genere humano datam esse: Ponitur hic metonymicè *sors* pro *eo, quod sorte obvenit*: Et sic vocatur Ecclesia Christi, & cætus fidelium etiam in N. T. *Col. 1.*

v. 12. & 6. *Tertiam* petit ab *agrorum divisione*: Sicuti enim in distributione terræ Canaan cuiq; familiæ Israëliitarum sua pars assignata, & funiculò mensoriò tota Palæstina distributa fuit; quæ res typus erat acquirendæ in N. T. ex omnibus gentibus Ecclesiæ, & cælestis patriæ tandem fidelibus assignandæ; ita Christus sibi gratulatur, quòd *funiculi mensoriij adminiculò sibi præclara & amana hæreditas obvenierit.* Ecclesiam verò nominat *amanam & præclaram*, non quòd ipsa *suis virtutibus* in conspectu Dei tantoperè emineat, sed *partim* ob *imputatam* Christi justitiam, & innocentiam, *partim* ob *inchoatam* novam obedientiam, *partim* ob perfectionem in vita æterna consequendam. Hi ergo tituli tribuntur Ecclesiæ *imputativè, inchoativè & operativè*; Et licet sint multa putrida membra in vocatorum cætu, tamen *per synecdochen* universus cætus nominatur *cætus fidelium, electorum, filiorum Dei*, quia in Ecclesia visibili latitat invisibilis, quam solus novit Dominus, qui corda scrutatur: Firmum enim stat fundamentum Dei habens signaculum hoc: Novit Dominus, qui sint sui, *2. Tim. 2. v. 19.*

7. v. 7. progreditur ad *alteram* hujus Psalmi *partem*, quæ gloriosam Christi *resurrectionem in forma gratiarum actionis* exponit: Sic enim inducit Christum loquentem: *Laudabo Dominum, qui consuluit mihi; etiam noctu castigaverunt (Vulgate. erudierunt) me renes mei.* Tria sunt hic notatu digna: 1. Phrasis, *laudare Dominum*, nil aliud significat, quàm Deo Patri æterno toto pectore gratias agere. In Hebræo est verbum *לָבַח*, id est, *benedixit*, quod, cum de Deo dicitur, significat, *benefacere*: Deus enim non *verbis*, sed *reipso & opere* benedicit; quando autem homini tribuitur, tum respectu *Dei* significat *Deum laudare & celebrare*, ut h. l. respectu autem *hominum* significat *bona à Deo operari & aliis precari*. Sic ergo Christus laudat & celebrat hic Dominum, gratias ei toto pectore agendo pro liberatione sui è doloribus infernalibus & catenis mortis. 2. Verbum, *consulere* h. l. idem est ac *præstò adesse, operariq; ferre*: Consilia enim Dei non sunt *verbalia*, ut hominum, sed *realia*: Deus enim, cum dat consilium, opere ipso juvat, & vividam consolationem Spiritus S. animis hominum instillat: sic Christus ideò hic Patrem suum æternum laudat & celebrat, quòd non modò consilium dederit, quò pacto homines liberari possent è servitute Diaboli, sed etiam sibi in passione benignè adfuerit, & præsentissimam opem tulerit. Verba enim *notitiæ* comple-

Et tunc etiam *actiones comitantes*: sicuti igitur is, qui dat consilium, simul confirmat, erigit, & iuvat, quantum potest: ita is, cui datur consilium, præsertim à Deo, sentit novum robur, novam spem & lætitiā in corde, ut facillè mala superare possit. 3. Per *renes* scriptura *συνεδοχικῶς* intelligit illam animæ facultatem, in qua sedes est affectuum, lætitiæ, tristitiæ, spei, metûs &c. Sicut enim caput intellectui, tanquam arx principi attribuitur, ita infimus venter, in quo sunt renes, & reliqua viscera, affectibus deputatur. Per *nocturnam autem renum castigationem* intelligitur hic anxietas & dolor, quem Christus cum aliis toto vitæ suæ curriculo, tum potissimum imminente passione sensit, quo tempore eum noctes quoq̃, insomnes duxisse, & curis animum macerasse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Quamvis enim affectus Christi omni peccato caruerint, tamen neutiquam debemus ei Stoicam quandam ἀπάθειαν & ἀναισθησίαν affingere. Sensus igitur Christi hic est: In tantis constitutus eram angustiis, ut non modò interdum criminationibus & illusionibus hostium exagitarer, sed noctes quoq̃, insomnes ducerem, & animum curis macerarem. Sunt tamen nonnulli, qui verba hæc, *noctu erudierunt me renes mei*; ita explicant: interni etiam affectus mei incitant me, ut nihil animo versem noctu, quàm quæ ad laudem Dei celebrandam faciunt.

8. v. 8. *magnitudini doloris* opponit Salvator per antithesin *auxilij divini præsentiam*: *Posui*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextera mea est, non movebor*, Phrasis, *ponere Dominum in conspectu suo*, idem significat, quod fiduciam suam in Deo collocare, ex qua quis certam auxilij divini spem concipere potest: *Deum à dextris habere* idem est ac Deo propitio gaudere, opemq̃ certam ab ipso expectare, id quod de Christo in statu etiam *exinanitionis* retissimè dicitur, *Matth. 3. v. 17. Non moveri* significat idem, quod fiduciam & spem suam de auxilio divino conceptam non abjicere, Sensus igitur horum verborum Christi est huiusmodi: Ingens quidem est periculum, quod me circumstat, siquidem mihi soli tota peccatorum moles, & intolerabilis ira iustitiæ divinæ incumbit, sed oculos habeo in Dominum defixos, certò certius sperans futurum, ut ille ceu fidus parastates me sublevet ac liberet; Et hanc in Deum fiduciam meam & spem auxilij divini non abjiciam in æternum.

9. v. 9. *redit ad propositionem*, quam aliis verbis per *μερσιων* seu *partitionem* illustrat: nam quod suprâ dixit, *Laudabo Dominum*, id ita hic explicat, ut ostendat, se omnibus animi & corporis viribus Deum celebrare: *Propterea*, inquit, *lacatum est cor meum, & exultat gloria mea; insuper & caro mea requiescet in spe*. Vocabulo *cordis* omnes animæ facultates intelliguntur: Per *gloriam* significatur lingua, quâ id, quod intus apud animum volvimus, foràs, proferimus. Usitatum enim est scripturæ *linguam* appellare *gloriam*, confer *Gen. 49. v. 6. Psal. 57. v. 9. Psal. 108. v. 1.* Sic autem appellatur per *metalepsin*, quâ ponitur *effectus* pro *causa instrumentali*: Lingua enim instrumentum est, quò Deum celebrare, & homines aliasq̃; res laude dignas laudare solemus, *Jacob. 3. v. 9.* Per *carnem* deniq̃; intelligitur hic per *synecdochen* totum corpus Christi hominis, quod Deus solutis funibus mortis tertiâ die ad vitam resuscitavit, quoniam impossibile erat eum teneri à morte, *Act. 2. v. 24.* ac propterea dicit h. l. *carnem suam in spe*, certissimæ scilicet resuscitationis & resurrectionis, quieturam esse.

10. v. 10. *Causam lætitiæ suæ* Christus speciatim & disertè exponit, inquit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, & non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Duo* hic enunciantur de Christo I. *quod anima ipsius non sit derelicta in inferno.* Vox, *anima*, propriè significat *ὄψαλον* corporis, & nobilissimam hominis partem, quâ corpus informatur & vivit: In præsentem autem loco *synecdochicè* totum notat compositum, sicut & alibi in *Act. 6. v. 14 & 1. Pet. 3. v. 20.* Nomen, *Ἰνψ* aliàs *sepulchrum*, aliàs *infernus* redditur: Nos illorum ad stipulamur sententiæ, qui de *descensu Christi ad inferos* locum hunc interpretantur: Etsi enim non negamus, alibi id vocabulum significare quandoq̃; *sepulchrum*, tamen hic potissimum obstat clarissima interpretatio Spiritûs S. *Act. 2. v. 27 & 31.* Ubi vocem hanc *Ἰνψ* his reddit, *εἰς ἄδης*: Nomen autem, *ἄδης*, in lingua Græca nequaquam significat *sepulchrum*, sed *locum cruciatuum infernalium*, in quem Christus ζωοποιηθεὶς, hoc est, vivificatus descendisse piè creditur, non ut istic de novo pœnas seu tormenta subiret, sed ut Diabolus, victoriam suam ostentando, perpetuos terrores incuteret, & damnatorum incredulitatem coargueret: *1. Pet. 3. v. 10.* Proinde articulum Symboli Apostolici, *descendit ad inferos*, simpliciter *ἕως τῶ ῥητῶν*, sicut reliquos omnes, interpretamur, & cum

Luthero, cuius sententiam *liber concordie* approbat, ad *actum gloriosi triumphi Christi* referimus: Neq; tamen sententiam illorum improbamus, qui animam Christi *infernale* etiam *cruciatu*, extra tamen *carcerem infernalem*, sustinuisse docent: nam sicut *infernus aliis* in Scriptura significat dolores infernales, *aliis* ipsum carcerem infernalem, ita anima Christi *duobus modis* dicitur *in inferno fuisse*, (1.) *dolores infernales sentiendo*; id quod factum *in passione ipsius* Psal. 18. v. 5, 6. (2.) *in carcere infernali victorem mortis & Diaboli, nec non severissimum damnatorum iudicem sese ostendendo*; id quod factum *proxime ante gloriosam ipsius resurrectionem* 1. Pet. 3. v. 19. 2. quod *non viderit corruptionem*: Non dabis inquit, hoc est, non concedes vel non permittes, *sanctum tuum videre corruptionem*. Per *sanctum Dei* non intelligitur hic David, aut alius quidam sanctus homo, sed ipse Christus, qui sic καὶ ἐξολωθὸν vocatur, Dan 9. v. 24. tum quia est ἀναμάρτη Heb. 7. v. 26. Johan. 8. v. 46. tum quia Spiritu S. sine menfura est unctus Psal. 45. v. 8. Johan. 3. v. 34. Ebr. 1. v. 9. Neq; tantum est sanctus *in se*, sed etiam *effectivè*, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus Johan. 1. v. 16. Phrasis, *videre corruptionem*, idem significat, quod non corrumpi, sicut non *videre mortem* idem est, quod non mori: Et hinc cum D. Petro, Act. 2. v. 29, 30, 31. concludimus, hæc verba non de Davide, aut ullo alio homine intelligi posse: David enim & omnes alij homines sepulti computruerunt, & senserunt corruptionem: sed hic, de quo Psalmus loquitur, immunis est à communi sorte mortalium; Ergo de Davide & aliis hominibus hæc non possunt intelligi; sed de *Solo Christo*, qui quidem mortuus est, sed tamen de sepulchro vivus rediit, & sanctissima eius caro nullâ putredinis injuriâ affecta est; quandoquidem in pulvrem terræ redigi, & à vermibus consumi nec debuit, nec potuit, eò quod peccati expers erat, & plenum vitæ corpus.

II. v. 11. tria commemorat *descensionis & resurrectionis Christi Consequentia*: Primum est *Christi in vitam caelestem introductio*: Notam, inquit, *fecisti mihi semitam vitæ, hoc est*, reipsa mihi viam & aditum ad vitam æternam patefecisti, seu vitæ gloriosæ me participem fecisti: Observes hic Canonem Hebræorum: Verba, quæ appellationem vel notificationem rei significant, quandoq; pro ipsa rei productione & essentia usurpantur, confer Psal. 45. v. 5. Psal. 60. v. 5. Johan. 5. v. 40. &c. Per quam autem viam Christus sit in vitam æternam introductus & ingressus, id perspicue

spicue declarat ipse, Luc. 24. v. 26. inquit: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Per viam ergo passionis* Christus in vitam caelestem introductus est; quò pacto & nos oportet intrare in regnum Dei Act. 14. v. 21. Alterum est *perfectissimi & plenissimi gaudij fruitio*: *Satietas*, inquit, *gaudiorum coram te, vel in vultu tuo est*: quibus verbis notat 1. *absolutissimam & abundantissimam gaudij caelestis perfectionem ac plenitudinem*, quæ per *satieta*tem gaudiorum h. l. indigitatur. Observetur hic Canon iste Hebræorum: *Pluralis numerus pro singulari quandoq; ponitur ad denotandam magnitudinem & excellentiam*: Et sic dicitur h. l. *satietas gaudiorum* pro gaudij. 2. *principalem ejusdem originem*, quam ostendunt vocalæ פָּנֵי אֵת, hoc est, *in facie tua*: Gaudium namq; caeleste *principaliter faciei Patris caelestis* originem suam debet. Christus igitur jam in cælis perfectissimo & copiosissimo fruitur, citraq; omne fastidium exsaturatur gaudio, quod *ex visione faciei Patris sui caelestis* percipit: Non autem *pro se* solummodò hæc gaudiorum satietate fruitur, sed nos quoq; sua membra vult aliquando congaudere, sicut dicit Joh. 17. v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi*, hoc est, ut eadem, qua ego, fruantur gloria. Tertium est *gloriosiss. ad dexteram Dei Patris consessio*: Sic enim ait: *Amanitas, sive jucunditas in dextera tua semper, sive in æternum*. Tria hæc consideranda veniunt 1. *Dextera Dei Majestas*: Per *dexteram Dei* metaphoricè hic intelligitur *æterna ac verè infinita potentia & Majestas divina*, per quam omnia operatur, regit & implet Psal. 77. v. 11. Psal. 118. v. 16. Psal. 139. v. 7 Exod. 15. v. 6 Esa. 48. v. 13 ideo quoq; appellatur *dextera virtutis Dei*, Matth. 26. v. 64. & *dextera Majestatis in excelsis* Heb. 1. v. 3. 2. *Sessiois ad eam jucunditas*: *Sedere ad dexteram Dei* nihil aliud est, quàm *vi unionis personalis, & quæ hanc secuta fuit, exaltationis*, infinitâ atq; æterna Majestate ac potentia omnes creaturas & opera manuum Dei potenter gubernare ac regere Psal. 110. v. 1. 1. Cor. 15. v. 25. Eph. 1. v. 21. Id quod Christo *secundum solam humanam naturam* competit, quæ è collata sibi hac gloria & Majestate *incredibilem jucunditatem* percipit. 3. *jucunditatis hujus perpetuitas*: Non enim definitur certò temporis spatio, sed *æternum* continuabitur Dan 7. v. 14. Ut autem Christus non sibi est natus, non sibi passus, non sibi resurrexit, sed *nobis*, Esa. 9. v. 6. ita non *sua*, sed *nostrâ causâ* ad dexteram Patris confedit: Hinc emergit nobis *jucunditas potentissimi auxilij* contra omnes hostes

Psal.

Psal. 119. v. 2. jucunditas effusionis Spiritus S. Johan. 16. v. 7. jucunditas intercessionis Rom. 8. v. 34. deniq; jucunditas æternæ beatitudinis, Johan. 17. v. 24. quam nec lingua effari, nec mens nostra æstimare satis potest 1. Cor. 2. v. 9. Ubi qui erit minimus, majorem sine dubio habebit gloriam, quàm totum habens mundi regnum, etiamsi æternum esset, inquit August. lib. 1. de triplici habitaculo.

Ad Humanissimum Dn. BONELIUM,

bona vera.

Ex præsentis Aureo Clinodio

DAVIDICO

Congerentem.

Nam Bona discamus, Bona ne pertranseat ætas,
Nec Bona tam sequitur quàm Bona prima fuit.
*Hinc Bona ritè legis, quæ non præstantius ullum,
Dum sacris animum pascis adusq; Bonis.
Hæc Bona non fures, non invidiosa vetustas
Abstulerint; nec Mors, nec necat unda fluens.
Quæ Bona dum quaris κειμήλια, doctè BONELI,
Judice me Gazas colligis indè Bonas.
Hinc Bona vota Boni merito fundamus Amici,
Ut χλῆρον capiat Spes tua sancta Bonum.*

Gratulabundus sc.

JOHANNES MEGALINUS.

Qui cupis Ætherei libamina dulcia fontis,
Humoresq; ejus manantes noscere gustu;
Sis constans: Rerum sacrarum volve statuta;
Hæc pietate docent rectam traducere vitam;
Et permagna piis Musis hæc commoda præstant.

Amorù & honorù E. app.

JOHANNES STEPHANI BERG/

Nericia Svecus.